Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 249
Quelle:
Copyright:

noſter ad commendationem Evangelicae fidei &c. et verum *Anſelmi Laudun.* Commentarium: *Evangelium graece, latine bonum nuntium interpretatur* &c. Verum nihil dixit *Oudinus*; haec enim duo Initia mox in idem redeunt, ut ſub ingreſſum legiſti. Nihil igitur certi conficiemus, Codicibus *mſſ.* jam hunc, jam illum ex dictis Autoribus praefixum habentibus, niſi quod non aſpernandae videntur rationes, quas pro *Guilelmo* innuit *Theoph. Raynaudus* S. J. p. 456. edit. *Opp. S. Anſelmi Cant. Lugd.* 1630. f. ubi et ſubtexit Προλεγομενα noſtri *Commentarii* inedita arbitratus, quod editionem *Antverp.* a me ſupra citatam ignoraſſet. Exemplum tamen ejus fiſtit in verbis: *eſt libri apertio*, tam *Antverpienſi*, quam *Codice* noſtro ultra procurrentibus, et finientibus: *tum per regnum, tum per ejus divinitatem.* In ipſo porro *Commentario* etiam Editio dicta et Codex frequentiſſime, idque non parum inter ſe diſcrepant. Finit illa: *quemadmodum vidiſtis eum euntem in coelum*; et hic: *oriente jam ſole, non orto vt noſtri codices habent.*

Theca utraque interior membranis talmudicis admodum vetuſtis conſtrata eſt.

CLXV.

U. 48 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 120. f. per duas columnas exaratus, auro, coloribusque diſtinctus praenotatur: *Hunc librum honorabilis uir Dominus Berchtoldus de emmerſtorff Cappellanus Domini Anthonij quondam prepoſiti ad Sanctum ſtephanum aſſignauit pro libraria Collegij ducalis. Cui retribuat omnium retributor. Antonii* hujus IV. Praepoſiti ab a. 1390. ad an. emortualem 1406. Acta texuntur in *Specim. Hiſt. Cancellarior. Univ. Vien.* p. 44. Complectitur porro Codex *Poſtillas Nic. de Gorran* O. P. Scriptoris Sec. XIII. jam memorati *in Matthaeum*, quae poſt alias Editiones, quas videre eſt in *Fabricii Biblioth. lat. med. aevi*, prodiere cum aliis Evangeliſtis, curante *Jac. Le Gall* O. P. *Lugduni* 1692. Tomis II. f. Nulla, quod mirere, Editionis hujus mentio in *Scriptt. Ord. cit.* T. I. p. 440. Magis mirum Operis principium, quod ibi e *Mſſ.* citat *Quetifus*: *Liber generationis. Sicut fluvius Paradiſi* &c. Iſtud enim non niſi C. I. *Poſtillarum* ipſarum principium eſt; praecedunt vero in *Codice* noſtro non modo duo Praeloquia, ſed etiam Expoſitio *Prologi Hieronymiani in Matthaeum*, quae hinc a Codicibus *Quetifi* abfuiſſe dicendum eſt. Neque multo felicior Editor *Le Gall*, qui, licet Expoſitionem dicti *Prologi* habeat, non tamen duo illa Praeloquia in Exemplis ſuis invenit. Praerogativam igitur meretur *Codex* noſter ob haec Praeloquia, quae hactenus non videntur prelo ſubjecta fuiſſe. Atque primum in illud: *Egredimini et videte filiae Sion* &c. *Cant.* 3. incipit: *Quemadmodum vnumquodque opus ex ſuis principiis in eſſe progreditur.*